



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

X. Quanti pretii adversa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

plus apud Deum mercedis habiturum, qui plus dederit: de duobus, pro pœna culpis debita satisfacere fatagentibus, jejunantem unum, altero non jejunante, plus facere. Atqui inter opera externa nihil augendo merito accommodatius, quàm advenientes nobis extrinsecùs calamitates, & aspera quævis, voluntati nostræ aut propensione adversa. Primum enim ex eo ipso quia adversa sunt, difficilia sunt, contraque niti oportet. Deinde ex optione nostra non veniunt, nihilque habent amoris proprii, quo pleraque operum nostrorum vitiantur, admistum. Hinc Bernardi verissima vox est, epist. 7. *Vera patientia est, facere quod non libeat: pati, vel agere, contra quod libeat.*

X. *Quanti pretii adversa.* Etiam si ex illis rationibus bene ponderatis pretium toleratorum pro Christo adversorum satis intelligi possit: supervacuum tamen non fuerit, æstimatorum peritorum judicia exquisisse. Qui Caroli Audacis miserè interempti gemmatum annulum, provincie ut aiunt integræ pretio contrà æstimabilem,

mabilem, repererat, argenteo imperiali aut circiter divendit, quia rem suam nec nôrat ipse, neque ab intelligente didicerat. Ne spiritualis mercimonii res nimis parvi fiant, & prodigè distrahantur, indicatio illarum à spirituali homine, qui omnia dijudicat, petenda est. Ejusmodi fuit, avorum nostrorum memoriâ, Ludovicus Blofius, qui, in libello de Consol. Pusillanimorum, moribundum instruens, quo se pacto ad mortem comparet, post propositam patientis Christi considerationem, D. Virginis patrocinium, aliaque id genus, subjicit exercitium Resignationis cum hac maximæ suavitatis sententia: *Si ager sese ex pura dilectione, cum perfecta sui resignatione, ad omnem pœnam, pro honore divine justitiæ tolerandam, animo spontaneo obtulerit, ipse neque infernum, neque Purgatorium subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata commisisset.*

XI. Si cui nimium dixisse Blofius videbitur, comparet & expendat cum ejus verbis ista Pauli, 2. ad Corint. cap. 4. *Momentaneum, & leve tribulationis*